



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola XXXVIII. Ioannis Papae VIII. Ad Docibilem Et Ioannem. Hortatur vt det operam, ne Christiani foedus cum Saracenis faciant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

necessitate barbarica, & dispensatione cogente loci & temporis, exemplo etiam maiorum protulimus, agere forte tentauerit, diuinis mysteriis priuetur, quamdiu minime resipiscens, apostolico præcepto frustra permanferit inobediens. Data &c. indictione decima.

EPISTOLA XXXVIII.  
IOANNIS PAPÆ VIII.  
AD DOCIBILEM ET IOANNEM.

Hortatur vt det operam, ne Christiani fœdus cum Saracenis faciant.

*Ioannes episcopus Docibili & Ioanni Hypatis.*

**D**EVOTIONI tuæ pro labore fidei Christianæ, quam De Docibili Leo episc. Ostiensis, lib. 1. c. 14. excolis, gratiarum actionibus persolutis, iterum & iterum exhortamur, vt magis ac magis satagere & decertare, & cœptum laborem ad perfectam ducere actionem procures: vt Christiani nominis viri paganorum fœdera fugiant, & solum in Deum, qui eos creauit, & non in diaboli membra, quæ sunt filii fornicationis & vasa iræ, spem suam ponere discant. Quod cum egeris, saluabis animam tuam, & operies multitudinem peccatorum. Dicit enim beatus Iacobus: *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam suam a morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Iacob. 5. Data quinto Idus Aprilis, indictione x.

EPISTOLA XXXIX.  
IOANNIS PAPÆ VIII.  
AD PVLCHAREM PRÆFECTVRIVM AMALFITANVM.

Monet vt fœdus cum Saracenis initum dissoluendum curet.

*Ioannes episcopus Pulchari Præfecturio Amalfitano.*

**A**DMONEMVS vt in omni virtute tua & sapientia tua De Pulchare Leo, vbi supra. labores atque decertes, vt illi homines paganorum disrumpere pacta procurent. Quod si fecerint, nil vobis vel illis denegabimus eorum quæ rite facere possumus, & pro nulla causâ vel homine nos a communi vestra & eorum salute seu auxilio separabimus, nec illos aliquando dimitemus: at vero si illi hoc facere recusauerint, & con-